

keit machte. Doch wäre diese behoben, wenn φαυλία zu den Wörtern wie Ὀδυσσεύς Ὀλυσσεύς (G. Meyer, Gr. Gr.<sup>3</sup> § 171) mit Uebergang der dentalen Media in λ gehört hätte. Die griechische Mutterform müßte φαυδία gelautet haben und in dieser Gestalt nach Italien gekommen sein. Denn auf italischem Boden ist der Uebergang von ursprünglichem *l* über *d* zum Spiranten nur im Umbrischen mit einigen sicheren Beispielen nachgewiesen (v. Planta I § 146. 196); doch führte der Weg der Oelkultur von Grossgriechenland nach Latium gewiss nicht über Umbrien. Auf φαυδία müssen die vermittelnden italischen Mundarten (osk. *Bansa*, *zicolom*; sabinisch *Clausus*) nicht notwendig eingewirkt haben. Schon griechische Mundarten, auch im Westen, zeigen δ als Spiranten vor ια, ιο (Brugmann, Gr. Gr.<sup>3</sup> § 48, 3; vgl. *rosa*). Wenn Macrobius Sat. 3, 20, 6 unter den 'olearum genera' in alphabetischer Aufzählung *pausia paulia* neben einander nennt, so läßt sich *paulia*, falls es wirklich für φαυλία steht, als neuerliche Entlehnung oder Fremdwort wie oben *diote* und *lagynos* verstehen. Sicherheit über diese Frage wird man freilich erst gewinnen, wenn es gelingt, die Herkunft des wahrscheinlich auch ins Griechische erst von auswärts eingeführten φαυλία festzustellen.

Tübingen.

G. Gander mann.

### Ignis a romphaea

In libello qui inscribitur *sermo de confusione diaboli* nuper ab Eduardo Rand edito<sup>1</sup> scriptum invenimus (fol. 119<sup>v</sup>):

et si vetaverit te ignis arumphea introire in  
paradysum, ostende ei hunc regalem signum  
et aperiet tibi. et ego statim ut vidit me ignis  
arumphea clausit ostia, etc.

Vocabulo quidem *arumphea* subesse satis patet *romphaea*: locutio tamen *ignis arumphea* quomodo sit explananda varie censuerunt omnes qui hunc libellum tractaverunt. Sed conferendum est aliud documentum. Nam in lamina plumbea, in qua incisum est litteris sexti circiter saeculi specimen defixionis christianae fortasse unicum<sup>2</sup>, haec verba leguntur:

ignis fluvio quem transire non potuisti reque-  
situs quare transire non potuisti dixisti quia  
ibi ignis aranea ignifera corret et ubicouqua  
semper tibi ignis aranea (ne) contra facias, etc.

Verba verborumque contextus conferenti manifestum erit eodem ex fonte ambas locutiones originem ducere, immo vocabulum

<sup>1</sup> Modern Philology II 1904, p. 261 sqq. Rand-Hey, Arch. Lex. Lat. XIV 1905, p. 253 sqq. cf. Heymann, Berl. Phil. Wochenschr. 1905, p. 492.

<sup>2</sup> In Dalmatia circa annum 1870 reperta lamna est et a De Rossi (Bullettino di Arch. Crist. ser. II, 1871, p. 38 ss) edita, qui haec verba nullo modo temptavit.

*aranaea* ab *arumphea* sive, quod idem est, *aromphaea* esse derivatum, formam igitur ex *a* et *romphaea* compositam necesse est quondam exstitisse. Sed litteram *a* aspirationis loco esse praefixam ut voluit Rand non credam, quia unius vocabuli *aringa* testimonio eoque perquam dubio id factum esse in Latino sermone parum probatur, tum quod forma *arumphea* hoc tantum contextu, scilicet *ignis arumphea*, exstitisse videtur. Mea quidem opinione *ignis arumphea* sive *aranaea* a locutione *ignis a romphaea* derivatus est, id quod vidit Hey (A. L. L. I. c. 267). Haec locutio, cuius plenior iam forma ex Dalmatica notescit lamina *ignis a romphaea ignifera*, non tam vertens quam amplificans id quod et in Graeco illius libelli archetypo et in libro Geneseos est φλογίνη ῥομφαία, in sermonem vulgi aliquando inrepsisse videtur. Qui homines cum romphaea quid sibi vellet nescirent, praepositionem et nomen in unum redegerunt. Hoc modo fit *ignis arompea* vel *arumpea* (nam *o* in *u* mutari et *h* perire constat exposuitque hic et ille), inde *ignis aranea* vi etymologiae quae dicitur vulgaris, cum *arumpea* forsitan putarint adiectivum. Itaque significatione et forma vocabuli *romphaea* penitus amissis non est mirum locutionem in lamina usurpatam esse de flumine igneo.

Animadvertendum est autem formam *aranaea* ab *aromphaea* derivatam accentum vocabuli *romphaea* postulare in antepaenultima. Quam syllabam re vera Latinos acuisse nos certiores facit grammaticus quidam in Hageni anecdotis Helvet. 176, 35: 182, 18, eodemque spectat forma antiquior et Latinae propria linguae *rumpia*<sup>1</sup>. Quam ob causam sic acuerint non patet, nam *rompaía* sicut scripsi enuntiare eos oportuit, quia paenultima vocis Graecae longa est. Nec prodest accentus Graecus, quem etiam praeis temporibus nonnulla secuta sunt verba, propterea quod Graecae, nisi accentus perperam traditur, acuitur paenultima. Sane vocabulum ab origine Thracium est<sup>2</sup>. Num omnino sine intercessu Graecorum inlatum est et aliquid enuntiationis Thracum conservavit? Accedit quod Latine significatio propria teli conservatur quam in gladium commutaverant Graeci<sup>3</sup>. Sed de his viderint alii: de accentu quidem Latino non est quod dubitemus.

Romae.

A. M. Harmon.

<sup>1</sup> Ennius ap. Gell. X 25, 4 (cf. Vahlen p. 70 v. 390 et p. CXCIX): Liv. XXXI 39, 11: Ascon. in Milon. p. 28, 4: *rumpia* Val. Flac. VI 98.

<sup>2</sup> v. Tomaschek, Die alten Thraker II 1, p. 18.

<sup>3</sup> *rumpia* semper telum significasse videtur: vide auctores supra memoratos. Gladii significationem una cum forma Graeca intulit in Latinum versio Itala (Roensch, Itala et Vulg. p. 245 et Hey l. c. p. 268). Apud Claudianum (carm. min. L 9 p. 340 Birt.) et Prudentium (Peristeph. V 189) *romphāea* invenitur.